Doctorm

Icones.
Pontificum
Cardinalium
Doctorum
&
a
P.Gallei
1572-98

M
11

2652 2653 2656 2654 2655 6190

207 Portraits. Galle (P.) Pontificum Maximor. Numer. XXVII. Effigies ad Vivum typis Œneis ex Romano prototypo expressæ (*one portrait wanting*), 1572—XII. Cardinalium maxime illustrium Imagines (*with an extra plate completing the previous item*), 1598—Virorum Doctorum de Disciplinis Effigies, 41 *plates* (*should be* 43), 1572—Imagines Doctorum Virorum, 1595, in one vol., *vellum* (*sold not subject to return*)

1) GALLE (P.) Pontificum ... effigies 1572
2) " Cardinalium imagines 1598
3) " Virorum doctorum effigies XLIII. 1572
4) " Imagines L. doctorum 1595
5) + GALLE (T.) Italorum imagines. 160[illegible]
6) [SYRACUSE]

P.S. 207. 19 12 98.

W K Jones . Febry 1849

24 C 5427

Icones Pontificum Cardinalium virorum doctorum &c a P Galleo
Antwerpiae 1572–98

155 ~~portraits~~ &c including those of Cardinals Pole, Fisher, Borromeus, P. Bembus, L Vives, A and P Manutius — Ariosto Politianus Poggius, ~~Dante~~ Petrarch &c &c Vesalius Erasmus Boccacio Julius 2nd Aldus, Mercator

PONTIFICVM MAXIMOR. NVMER. XXVII EFFIGIES AD VIVVM TYPIS ÆNEIS EX ROMANO PROTOTYPO EXPRESSÆ

PHILIPPI GALLEI ARTIFICIO

ANTVERPIÆ
1572
Prostant apud eundem P. Galleum et Ger. de Iode

PHILIPPVS GALLEVS

PICTVRAE ET HISTORIAE STVDIOSIS, S.

PONTIFICVM ſeptem & viginti, qui à reſtitutæ picturæ initiis ad noſtram vſque ætatem Eccleſiæ præfuerunt, Imagines ad viuum delineatas, in veſtram gratiam ex Romano prototypo noſtro ſtylo expreſſimus, adiuncta etiam breui ſingulorum Hiſtoria. Speramus autem opus ipſum tum artis elegantia & imitationis fide, tum precij facilitate, vobis eſſe probandum: quod ſi contingat, plura etiam non minus vtilia & grata quàm noua, quæ contento ſtudio molimur veſtris vſibus commoda futura, propediem edemus. Valete, & honeſtis homineque dignis rebus fruimini.

ILLVSTRISS.^MO ET GENEROSISS.^MO D. ALBERICO CYBO MALASPINÆ MARCHIONI MASSAE ET D. CARRARIAE

ONVPHRIVS PANVINIVS VERONENSIS

FRATER EREMITA AVGVSTINIANVS

S P D

ROMANAM ECCLESIAM perpetuò manſuram, Diuina prouidentia Sancti Apoſtolorum principis Petri Galilæi D. N. IESV CHRISTI diſcipuli, & Vicarii miniſterio, operaq; in Vrbe fundauit, conſtituit, amplificauit. At Diuus Petrus moriens ſucceſſorem ſumma cum poteſtate S. Clementem, anno à Chriſti natali LXVIII habuit. A quo vſque ad B. Silueſtrum Papam trecentorum circiter annorum interuallo, ſæuiſſimis Imperatorum Idolatrarũ perſecutionib. eadem Eccleſia vexata, infinita ſanctorum martyrum agmina Chriſto tranſmiſit. Conſtantinus præclariſſimæ memoriæ Imperator, primus Romanorum principum Chriſti fidem inſtinctu diuinitatis publicè profeſſus, perſecutionibus repreſſis, & libera Chriſti colendi facultate cunctis conceſſa, quum omnes Orbis terrarum Eccleſias, tum Romanam mirum in modum auxit; profana ditione ornauit; eius maieſtatem multis editis legibus cõmuniuit. A quo tempore vſque ad S. Gregorij Magni Papæ & Doctoris pontificatum, CCLX annorũ ſpatio, eiuſdem ſedis ſupremæ poteſtatis vſus Conciliorũ decretis, Imperatorum legibus, auctus confirmatusque eſt. Quem aliquando improborum hominum malitia nutantem, & penè labefactatum, quingenteſimo ferè anno pòſt reſtituit, confirmauitque eccleſiaſticæ libertatis aſſertor vnicus Gregorius VII, Pontifex Maximus; & qui eum centum poſterioribus annis ſequuti ſunt Romani Pontifices. In his præcipui Vrbanus II, Paſchalis II, Calliſtus II, Innocentius II, Hadrianus IIII. & Alexander III. Hi Imperatorum aliquot, & Regum Eccleſiæ hoſtium, & eius libertatem opprimentium vim frangi poſſe docuerunt. Gregorius VII eam de ipſorum poteſtate primus eruit: Calliſtus II Gregorij VII actiones firmauit: Alexander III auxit, quum Friderico Barbaruſ-

ſæ Imperatori Eccleſiam opprimere tentanti accerrimè reſtitiſſet. Eadem Otho IIII, Saxo, & Fridericus II, Imperatores moliti, valentiſſimos aduerſarios habuere Innocentios III. & IIII. Qui Imperatoris vi repreſſa, Eccleſiæ maieſtatem vindicarunt, auxerunt, firmarunt. Quo tempore Pontificum virtute, & pietate, Germanicorum Cęſarum contentionibus ſublatis, maximè ab anno ſalutis ∞CC, deinceps floruit Eccleſia Romana. Hoſtibus externis ſublatis, ſeditiones populi Romani domeſticæ eam excepêre: quibus coacta Vrbe diu abſuit. Veronæ, vrbe veteri, Viterbij, Peruſiæ, Reate, Anagniæ permanſit. Ea res occaſionem ſummis Pontificibus attulit in Gallias loco tuto migrandi. Nam Bonifacij VIII. ſucceſſore Benedicto XI vita functo, qui ei ſucceſſit Clemens V, eam anno ∞CCCV trans alpes traduxit. Vbi Auenione ſede locata, ſex eius ſucceſſores vſque ad Gregorium XI. annis LXX. permanſère. Qua ætate, eius maieſtate ob Pontificum abſentiam, & Tyrannorũ vim, in Italia exoleſcente, religione tactus Gregorius XI. eam ad Vrbem quaſi poſtliminio, Gallis inuictis, anno ∞CCCLXXVI reduxit. Quo mortuo grauiſſimum eſt ſchiſma conſecutum, Vrbano VI, & Clemente VII, ab iiſdem Cardinalib. creatis, Romæ & Auenione Pontificatus iura adminiſtrantibus. A quo tempore quum picturæ ars, quæ poſt felicia Romanorũ ſæcula iacuerat, aliquot Artificum præſtantia paulatim reſtitui, & in priſtinum decus, Græco pingendi more, ſine vlla veri ſimilitudine, artis peritia, lepôre, gratia, & venuſtate vbique antiquato, erigi cœpiſſet, eorum omnium Pontificum, qui poſt renaſcentis picturæ reſtitutum decus vixerunt, imagines ad viuũ delineare, & typis æneis hoc libello comprehenſis, publicare conſtituimus, quo eorum potiſſimùm ora, aſpectuſque cum elogijs ſingulorum continentur, qui poſt reditum Apoſtolicę ſedis ex Gallia in Vrbe vixerunt. Id antiquioribus etiam Pontificibus, quorum egregia facta miramur, poſtea alio libro, quantũ fieri poterit, pręſtaturi. Quorum à Bonifacio VIII. deinceps, & ſi non ita perfecta, elegantia tamen pro temporũ conditione, ſimulachra habemus. Atque ego fieri non poſſe exiſtimo, quin quando egregij alicuius hominis res præclarè geſtas legimus, non etiam eius cognoſcendi & videndi deſiderio accendamur. Quod à natura, quæ nihil perpetuum eſſe patitur, nobis negatum, pictura præſtat: qua hominis formam ſæpe moribus congruentem cupidiſſimè inſpicimus, cum voluptate intuemur. Id vt iucun-

dius

dius nobis contingat, singulis Pontificum imaginibus breuissima elogia adiecimus, eorum res gestas summatim cōprehendentia. Initium verò ab Vrbano VI. fecimus, tum quòd is primus fuerit, qui post reuectam ex Gallijs Apostolicam sedem Pontificatus iura susceperit, tum quòd post eum continuatas perpetua serie Pontificum icones ad viuum expressas habeamus. Nemini autem hunc laborem iucundiorem fore putauimus, quàm tibi Alberice clarissime, quem tuo nomine multis de caussis inscripsimus. Primùm quòd de Italicis Principibus nemo sit, cui ego pro summis meritis, multisque in me collatis beneficijs magis obstrictus sim, maioraque debeam studia: Deinde quòd in vetere more, institutoque positum est, vt qui eduntur libri, iis viris dicentur, quorum nomine, quòd præ ceteris vel opibus florentes sint, vel virtute præstantes, vel nobilitate clari, in vulgus sint commendatiores. Quibus tu omnibus rebus in primis excellis: nam & opes tibi tantæ sunt, quantas complures ditiones, quas multis in Italiæ Prouinciis possides, conciliant. Et vt ceteras egregias virtutes tuas omittam, illa maximè es insignis, qua nulla homines ad Diuini numinis similitudinem propiùs accedunt, hoc est, beneficentia, & liberalitate, qua tu cùm omnes homines, tum verò litterarum studijs deditos amplecti, & fouere soles. Nobilitate verò quis te tandem anteire, est existimandus? Nam maternum Malaspinarum clarissimum genus totius ferè Apuanæ Liguriæ peruetusta ditione commendatur: Paternum verò, quod in Genuensi Republica amplissimum dignitatis locum semper obtinuit, illud est, quod suo sibi iure huius libri nuncupationem vindicare videatur. Quatuor enim Pontificum Maximorum imagines in illo expressas habebis, quorum duo Bonifacius IX, & Innocentius VIII, Cyboii gentiles tui sunt: alteri duo Leo X & Clemens VII, arctissima affinitate paterno generi coniuncti, vt maiorum tuorum stemmata non exignam huius libri partem obtineant. Quibus rebus fit, vt cùm cetera mea numquam sis aspernatus, tum verò hoc munus tibi, vt maximè debitum, ita in primis gratum fore confidam. Vale. Romæ. VIII. Idus Ianuarij, ineunte Anno â partu Virginis ∞ DLXIIX.

PAPA CCIV BARTHOLOMAEVS Pirignanus, aliâs Tuczillus Regens Cancellariæ Apostolicæ in Vrbe, absente Petro de Monturuco Cardinale Pampilonense S. R.E. Cancellario, ex Archiepiscopo Materano, & Acheruntino Archiepiscopus Barensis à Gregorio XI factus: Pontifex creatur Romæ in conclaui Vaticano extra Collegium Cardinalium sexagenario maior, à XVI Cardinalibus, v. Idus Aprilis, anno ∞ CCCLXXVIII. coronatus ante gradus S. Petri, die Paschæ XIIII. Kal. Maij: sedit Cæsare Venceslao Rege Romanorum annos XI. menses VI. dies VII. Perniciosissimum, & teterrimum schisma eiusdem occasione, alio Pontifice ab eisdem Cardinalibus, qui eum elegerant, creato Clemente VII inchoatũ, in quinquaginta annos productũ est. Pontificatus sui tempus Romæ, Neapoli, Luceriæ, Panormi in Sicilia, Genuæ, Pisis, Lucæ absumpsit. Iobilei annũ ex quinquagesimo ad trigesimum tertium reducens, eum anno ∞ CCCXC. tertio celebrari curauit. Carolum tertium de Duracio vocatum, Ioanna Regina priuata, Regem Neapolitanum creauit, coronauit: ac in obtinendo Regno pecunijs & cõmeatu adiuuit: cum quo postea ita inimicitias exercuit, vt eum anathemate notatum, eodem Regno exueret. Ordinationibus quatuor factis, Cardinales creauit LIIII. ex his quinque sustulit, VII purpuræ honore priuauit. Obijt Romæ Idibus Octobris, anno ∞ CCCXXCIX. ætatis LXXII. Vacauit sedes dies XVII. sepultus in Basilica Sancti Petri marmoreo sepulchro, quod adhuc cum rudi hoc elogio extat,

Hac animo magnus, sapiens, iustusque Monarcha
Parthenopéus adest Vrbanus sextus in arca:
Feruebat fidei latebras conferre magistris,
O decus, his fretus semper post prandia sistris
Schismatibus magnis animo maiore regebat.
Omne Simoniacum tanto sub patre tremebat.
Quid iuuat hunc terris mortali tollere laude!
Pro meritis cæli splendet sibi gloria valde.



VRBANVS VI PAPA NEAPOLITANVS

BONIFACIVS .IX. PAPA NEAPOLITANVS

PAPA CCV PETRVS aliàs Perinus Tomacellus gente nobili, ex Nidi Curia ortus, ex diacono S.Georgij in Velabro, Presbyter, Cardinalis tt. S.Anastasiæ ab Vrbano VI. factus, Pontifex Romæ creatus est in conclaui Vaticano, IIII Nonas Nouembris, Anno ∞CCCXXCIX. Cardinalium XIII suffragijs, annum agens (non vt ait Platina circiter XXX) sed XLV. coronatus apud S.Petrum, III Idus Nouembris, sedit Cæsaribus Venceslao Bohemo, & Roberto Bauaro Romanorum Regibus in schismate contra Clementem VII. & Benedictum XIII, Auenione commorantes, annos XIIII. menses XI. Iobileum annum tertio, anno ∞CCCXC. ab Vrbano VI. institutum, & quarto more veteri, anno ∞CCCC. celebrauit. Primus Romanorum Pontificum post reditum Apostolicæ sedis ex Gallia summum imperium Vrbis Romæ, ciuibus se dedentibus, obtinuit. Mausoleo Hadriani arcis instar, & Capitolio munitis, Pontificum ditionem stabiliuit, maiestatem nutantem confirmauit. Ecclesiæ Romanæ patrimonium Tyrannorum vi amissum recuperauit, Latium, Campaniam, Picenum, Etruriam, Flaminiam, & Aemiliam prouincias: item magnas Vrbes Narniam, Tuder, Spoletium Vrbem veterem, Viterbium, Perusiam, Forumliuij, Fauentiam, Bononiam, ecclesiastico imperio restituit. Ioannis Galeatij Vicecomitis primi Insubrum Ducis vires toti Italiæ formidabiles repressit. Robertum Bauariæ ducem, & Rheni Comitem Palatinum, Venceslao ob ignauiam in ordinem redacto, Cæsarem designatum confirmauit. Ladislao Caroli III. filio adhuc puerulo Regnum Neapolitanum, quo Andegauensium factione pulsus fuerat, restituit, defendit, eumque Angeli Acciaioli Legati Cardinalis opera Regem inunxit: eius patrem fato functum Vrbani VI. diris absoluit. Ex duobus fratribus alterum Spoletinum Ducem, alterum Piceni Principem beneficiario iure constituit. Palatium Vaticanum, quod nunc superest, perpetuæ Pontificum sedi inchoauit. Ordinationib. duabus factis, Cardinales. VI. nouos creauit, V superstites ab Vrbano VI. priuatos restituit. Obijt Romæ in vaticano sexagenarius Kal. Octob. anno ∞CCCCIIII. vacauit sedes dies XV. sepultus in Basilica S.Petri monumento lapideo, quod in ecclesiæ ruina dirutum fuit, cum hoc epigrãmate

Flete super pugilem Claues, Crux, alma Tiara,
Ecclesia viduata viro, simul inclyta Roma
En petra parua patrem sub cælica sydera primùm
Claudit, Apostolica solium qui rexit habena,
Catholicamque fidem; seruans à turbine sanctum
Remigium Christi, victis virtute tyrannis
Orthodoxus erat super omnes, arca superni
Consilij: sua iura tuens, & grandia tractans
Cæsaris ex animo fidei clypeatus honore
Corpore conspicuus, roseus flos, flamine constans
Auditorque placens, miseris miserator opimus
Ossa iacent, mens alta polum felicibus alis
Ascendens, micat ante Deum nouæ lucis origo
Glorius Antistes. Quis nam Bonifacius alter
Nouus vt iste fuit? quæ Chronica scripserit vnquam?
Quodve genus parilem dedit æuo nomen? & omnes
De Tomacellis fulget, fulgebit in annos
Parthenopen lustrans tulit hunc genus omne Latinum
Quicquid alit tellus, & quod tegit omnia cælum.

Obiit An. M.CCCCIIII. *die.* 1. *Octobris, Pontificatus eius An.* XV.



BONIFACIVS · IX · PAPA · NEAPOLITANVS

Innocentivs .vii. Papa Svlmonensis Pelignvs

Cosmatvs Melioratus ex diœceſi Valuenſi in Aprutio, vtriuſque Iuris Doctor, ex Archiepiſcopo Rauennate, Epiſcopo Bononienſe, & Procamerario, Presbyter Cardinalis tt. Sanctæ Crucis in Hieruſalem, S. R. E. Camerarius, & totius Italiæ pro pace inter diſſidentes bello Principes, & Reſpublicas componenda Legatus à Bonifacio IX. factus eſt: quo mortuo, Pontifex Romæ in Vaticano conclaui, à VII Cardinalib. creatur, XVI Kal. Nouemb. anno ∞ CCCCIIII, coronatus apud S. Petrum, IIII Nonas Nouembris, Cæſare Roberto Rege Romanorum ſedit in ſchiſmate contra Benedictum XIII. annos II. dies XXI. Cunctis maximi & optimi Pontificis dotibus ornatus. Vitæ integritate, egregijs morib. humanitate, doctrina, pietate, & liberalitate præſtantiſſimus. Eccleſiaſticæ libertatis & ditionis aſſertor vnicus: Ladislaum regem Neapolitanum Vrbis Romæ Imperio infeſtis ſignis inhiantē, populo ad arma concitato, Vrbe ſubmouit: Cuius fraudibus & dolis, quum aliquot ciuium Romanorum inſidijs Pontifex penè circumuentus eſſet, eius fratris filius Pontifice inſcio vndecim ex his interfecit. Ea re furentis populi timore Vrbe excedens, Viterbium conceſſit. Vnde paulò pòſt à S. P. Q. R. mitigato Romam reuocatus, Vrbis Imperio recuperato, ordinationeque vna habita, qua XI. Cardinales creauit, VIII. Idus Nouembris, in Vaticano palatio, anno ∞ CCCCVI. in pace quieuit. Vacauit ſedes Apoſtolica dies XXIII. Corpus in Baſilicæ Vaticanæ Sacello Sancti Thomæ conditum eiuſmodi inſcriptionem habet

Innocentio VII Pontifici Maximo.

Qvvm Neglecti eivs Sepvlchri Memoria pene interiisset,

Nicolavs V. Pont. Max. Instavrandam Cvravit.



INNOCĒTIVS·VII·PAPA·SVLMONĒSIS·

APA CVII ANGELVS *Corarius genere patricio ortus, Sacræ Theologiæ Magister, ex Episcopo Castellano Venetijs, Patriarcha Constantinopolitanus titulotenus, & Chalcidensis in Insula Euboea Episcopus primùm, mox Presbyter Cardinalis tt. S. Marci, & Piceni Legatus ab Innocentio* VII. *efficitur. Pontifex verò designatur in Vaticano palatio* XIII *Cardinalium votis, Prid. Kal. Decembris, Anno* ∞CCCCVI. *octuogenario maior, coronatus Nonis Decembris, ad S. Petrum, sedit Cæsaribus Roberto, & Sigismundo Regibus Romanorum annos* VIII. *menses* VII. *dies* V. *Hic ea conditione veluti Interrex Pontifex Romanus renuntiatus est, vt tollendi schismatis caussa, summum sacerdotium deponeret, si idem Benedictus* XIII *factitasset; Vterque iure iureiurando id promisére: quod cùm imperij dulcedine præstare nolle viderentur, vtriusque Pontificis collegia, ijsdem relictis Pisas conuenére, ibique generale totius Christianæ Reipublicæ Concilium congregatum est. Quæstionib. in vtrunque legitimè habitis, Synodus Pisana vtrumque de pontificatu contendentem priuauit Nonis Iunij, anno* ∞CCCCIX. *Pontificatus Gregorij anno* II. *mense* VI. *die* VI. *Quum ipse iam duabus ordinationibus Cardinales* XIII *creasset. Qui non nisi in Concilio Constantiensi in aliorum patrum numerum suscepti sunt, quando Gregorius ipse pro vnitate ecclesiæ sarcienda, sponte per procuratorem absens Arimini Pontificatu se abdicauit. Quod factum fuit sessione* XIIII. *Die* IIII. *Nonas Iunij, Anno* ∞CCCCXV. *Nam Pisani Concilij decretis tanquam minus legitimè congregati parére recusauerat. Obijt Episcopus Cardinalis, & perpetuus Piceni Legatus biennio post Recaneti, anno* ∞CCCCXVII *paulò ante Martini* V *creationem nonagenarius, ibique in cathedrali ecclesia sepultus est cum hoc epitaphio.*

Maximus Eccesiæ Princeps, summusque Monarcha
Ordine Gregorius bissenus clauditur arca.
Hic pro pace datus cælesti munere, semper
Ferbuit, ethereos superis munire decenter
Archischisma malum, facta hæc dementia Pisis
Ipse pius releuat, facta est Constantia testis,
Cardine bis sacro pastoris conscia sede
Marchia suscepit Racaneti flauius æde.
Obiit Anno Dñi ∞CCCCXVII.



GREGORIVS XII PAPA VENETVS

ALEXANDER .V. PAPA CRETENSIS GRÆCVS

PAPA CCIIX FRATER Petrus Philargi Ordinis Minorum, obſcuriſſimo genere ortus, Artium, & Philoſophiæ Doctor, ac Sacræ Theologiæ Magiſter, Io. Galeatij Inſubrũ primi Ducis à Conſilijs fuit, quem ex Epiſcopo Vicetino, Nouarienſem primum, deinde Archiepiſcopum Mediolanenſem, demum Presbyterum Cardinalem Baſilicæ Sanctorum XII Apoſtolorum, & Longobardiæ Legatum Innocentius VII fecit. Pontifex verò Romanus Gregorio XII. & Benedicto XIII. abrogatis, XX vacantis ſedis die, VI. Kal. Iulij, anni ∞ CCCCIX. in Concilio Piſano, à XXIII Cardinalibus vtriuſque obedientiæ ſeptuagenario maior creatus, & Nonis Iunij die Dominico in Cathedrali Eccleſia Piſana coronatus, ſedit Cæſare Roberto Rege Romanorum menſes X, dies VIII. Hic humanitate, doctrina, liberalitate, animi magnitudine clariſſimus fuit, ita in omnes munificus, vt nihil ſibi reliquerit. Quare per iocum dicere interdum ſolebat; ſe ditem Epiſcopum fuiſſe, pauperem Cardinalem, mendicum Papam, ob profuſas, & immodicas largitiones. Ludouicum Iuniorem Andegauenſem Ducem priuato Ladislao Regem Neapolitanum conſtituit, pecunia & commeatu adiuuit, Baltaſſare Coſſa Cardinale & Legato Bononienſi ad eam expeditionem (quæ irrita fuit) miſſo. Pontifex Piſis diſcedens Bononiam acceſſit. Vbi V Nonas Maij, anno ∞ CCCCX. rebus humanis eximitur. Vacauit ſedes dies XIII. corpus ad Minores marmoreo tumulo conditum eſt cum his verſiculis

Summus paſtorum Alexander quintus, & omnis
Scripturæ lumen, ſanctiſſimus Ordo Minorum
Quem dedit, & proprio Cretenſis nomine Petrus
Migrauit MCCCCX.



ALEXANDER.V. PAPA CRETĒSIS GRÆCVS

IOANNES .XXI. DICTVS .XXIII. PAPA NEAPOLITANVS

PAPA CCIX

BALTASSAR Coſſa Nobili genere ortus, vtriuſque Iuris Doctor, à Bonifacio IX. ex cubiculario ſuo in patriæ gratiam Diaconus Cardinalis S. Euſtathij, Flaminiæque Legatus creatus, Bononiam Io. Galeatio Inſubrum Duci ademit, cuius vſque ad Pontificatum perpetuò Legatus fuit. Præcipuus Concilij Piſani auctor, Alexandro V. gratiſſimus. Quo mortuo Bononiæ, à XVI. Cardinalibus, XVI. Kal. Iunij, anno ∞ CCCCX. ſummus Pontifex renunciatus, ibique in Cathedrali VIII. Kal Iunij, inauguratus, Cæſare Sigiſmundo Rege Romanorum ſedit annos V. dies XV. Vir fuit bello & armis quàm religioni aptior. Cardinales tribus ordinationibus XVI. creauit. Quum verò ſchiſma ob eius creationem non ſedatum, ſed auctum eſſe videretur, tribus iam ſe pro Pontificibus gerentibus, quo ſolus in Pontificatu ceteris reiectis, confirmaretur, ſuaſu Sigiſmundi Imperatoris, generale Concilium Conſtantiæ indixit: quo ex vniuerſo Orbe chriſtiano infinita multitudo confluxit. Ad Concilium & ipſe cum Cardinalibus accedens, quum eius dignitas in periculum reuocari cerneret, noctu clam habitu mutato Concilio abijt: ex fuga retractus, & quæſtione capitali in eum inſtituta, ex Concilij decreto damnatur, Pontificatusque ei abrogatus eſt IIII Kal. Iunij, ſeſſione XII. anno ∞ CCCCXV. cui damnationi ipſe Prid. Kal. Iunij in oppido Scaphuſia conſenſit. Vacauit tum Apoſtolica ſedes annos II. menſes V. dies X. Quadriennio ferè in carcere aſſeruatus, ad extremum magna pecuniæ ſumma perſoluta dimittitur, Martino iam creato & Florentiæ agente. Ad quem Baltaſſar accedens Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus creatur. Obijt Florentiæ XI Kal. Ianuarij anni ∞ CCCCXIX Sepultus in Baptiſterio Sancti Ioannis, cum hac notula

IOANNES QVONDAM PAPA
XXIII. OBIIT FLORENTIÆ
ANNO DOMINI. MCCCCXVIIII.
XI. KALENDAS IANVARII.



IOANNES XXIII PAPA NEAPOLITANVS

MARTINVS .III. DICTVS .V. PAPA ROMANVS

PAPA CCX OTHO Columna Agapiti filius regulus Romanus, nobilissimo genere ortus, & à teneris annis omnium disciplinarũ genere imbutus, vtriusque Iuris Doctor fuit. Ab Innocentio VII. Diaconus Cardinalis S. Georgij in Velabro creatus, Vmbriæ, & Etruriæ summa cum æquitate Legati iure præfuit. Quum in Concilio Constantiensi, tribus qui de Pontificatu decertabant, repudiatis, vir optimus quereretur, qui Rempublicam Christianam longo schismate perturbatam constitueret, ipse vnus post conditam Romanã Ecclesiam, ab vniuersali Concilio, cui tres & viginti Cardinales interfuerunt, ad supremum in terris fastigium euectus est, III Idus Nouembris, anno ∞ CDXVII. ætatis suæ quinquagesimo, consecratus ibidem in Ecclesia cathedrali Constantiensi, XI. Kal. Decembris. Sedit verò Cæsare. Sigismundo Rege Romanorũ annos XIII. menses III. dies X. Hic schismate quinquaginta annorum sublato, pacem Ecclesiæ reddidit. Romam veniens Italicas res turbatas, pace inter dissidentes Principes composita, constituit. Ditionem Ecclesiasticam à Tyrannis occupatam recuperauit: Picenos rebelles domuit. Vrbem intestinis discordijs afflictam recreauit: fabricis exornauit: moribus & optimis institutis excoluit: sacras Ædes collabentes refecit: agrum Romanũ latrocinijs infestatum, sicarijs & latronibus necatis, tutissimum reddidit. Ioannam Neapolitanorũ Reginam Legati opera coronauit, cuius regnum ex Reginæ auctoritate, reiecto Alfonso Arragonio Rege, Ludouico III. Andegauensi Duci adiudicauit. Basileense Concilium indixit. Vrbem ad eam omnium bonorum beatam copiam felicitatemque perduxit, vt Augusti tempora redijsse viderentur. Postremo de patria, Romana Ecclesia, & Republica Christiana optimè meritus, Cardinalibus quoque XVII. ordinationibus tribus creatis, Romæ apoplexi correptus, rebus humanis excessit X. Kal. Martij, anno ∞ CCCCXXXI. ætatis LXIII. Vacauit sedes dies X. Corpus æneo solio ante Apostolorum capita, cum hoc elogio Laterani sepelitur.

MARTINVS PAPA, V. SEDIT
ANNOS. XIII. MENSES. III.
DIES, XII. OBIIT ANNO. M.
CCCCXXXI. DIE XX. FEBRV-
ARII, TEMPORVM SVORVM
FELICITAS



MARTINVS V PAPA ROMANVS

EVGENIVS .IIII. PAPA VENETVS

PAPA CCXI D. GABRIEL Condelmerius Angeli filius Venetijs populari, antiqua tamen familia ortus, ex Canonico sæculari Cælestini coloris Congregationis Sancti Georgij in Alga Venetiarum, Episcopus Senensis, & Presbyter Cardinalis tt. S. Clementis, à Gregorio XII. factus, Legationem Picenam sub Martino V. integrè administrauit. Quo mortuo, Romæ in Sacrario Ordinis Prædicatorũ ad Mineruę duodequinquagesimum annum agens, XIII Cardinalium suffragijs, V Nonas Martij, anno ∞ CDXXXI Pontifex Maximus creatus, & V Idus Martij ad S. Petrum coronatus, sedit Imperatoribus Cæsaribus Sigismundo Lutcenburgio, Alberto, & Friderico III. Austrijs Augustis annos XV. menses XI. dies XXI. Fuit Eugenius IIII. varia fortuna, modò prospera, modò aduersa conflictatus, bellis implicitus, seditionibus Ecclesiasticis, & acerrimo schismate vexatus. Quæ omnia excelso animo tulit, & superauit. Pontificatus initio ciuilem seditionem à Columnensibus passus, eorum conatus repressit. Sigismundum Augustum in Basilica Vaticano Imperatorio Diademate coronauit: Philippi Insubrum Ducis vi, & insidijs vexatus, & Roma tumultu populari exactus, Florentiam aufugit, breui Ioannis Vitelescchi Cardinalis opera cuncta amissa recuperauit, rebelles domuit, Concilium ab se Basileæ indictum reuocauit: nouam Synodum, ad quam Græci, Imperator, Patriarcha, & Episcopi conuenerunt, Ferrariæ instituit, Florentiæ absoluit: Armenorum & aliorum Orientalium Legatos audiuit: ijs leges dedit. A Basileensib. Pontificatu priuatus, diro schismate excitato, contra se Felicem IIII. nuncupatum V. creatum passus est. Romæ post decennalem peregrinationem rediens, Vrbem deformem, & sua absentia laceratam constituit, Tyrannis ditionem ecclesiasticam armis vexantibus fortissimè restitit. In Turcas mari classem, terra exercitum Legato Iuliano Cæsarino Cardinale misit. Moritur tandem multis in discriminibus versatus, anno ætatis LXIIII. Christi verò ∞ CCCCXLVII. VII Kal. Martij. Quum Ordinationibus VI. habitis Cardinales viros egregios XXVII. creasset. Vacauit sedes dies X. corpus in Basilica S. Petri ante ostium Sacrarij marmoreo tumulo cum hoc Epigrammate conditum fuit:

EVGENIVS *iacet hic quartus, cor nobile cuius*
Testantur vitæ splendida facta suæ.
Istius ante sacros se præbuit alter ab Ortu,
Alter ab Occasu Cæsar vterque pedes,
Alter vt accipiat fidei documenta Latinæ,
Alter vt aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armeni Graiorum exempla secuti,
Romanam agnorunt, Æthiopesque fidem.
Inde Syri, ac Arabes, mundique è finibus Indi,
Magna sed hæc animo cuncta minora suo.
Nam valida rursum Teucros iam classe petebat,
Dum petit, ast illum sustulit atra dies.
Qui semper vanos tumuli contempsit honores,
Atque hac impressa condite, dixit, humo.
Sed non quem rubro decorauerat ille galero,
Non hoc Franciscus stirps sua clara tulit.
Susceptiq; memor meriti tam nobile, quod nunc
Cernis, tam præstans surgere iussit opus.


EVGENIVS IIII PAPA VENETVS

FELIX IV DICTVS V ANTIPAPA, SAVBAVDIÆ DVX

ANTI-PAPA

AMADEVS Nobilissimo Sabaudiensium Ducum genere ortus, Principatu filijs relicto, solitariam vitam delegit, Decanusque factus est Militum, qui IESV CHRISTI dicebantur, Ordinis Sancti Augustini, in solitudine Ripaliæ Gebennensis Diœcesis, in Monasterio S. Mauritij. Hic priuato in Concilio Basileensi Eugenio IIII. (Quod idem Concilium à Martino indictum, & ab se misso Legato inchoatum bis ex ea Vrbe transferre in Italiam tentasset) ab ea multitudine quæ Basileæ conuenerat, in schismate Antipapa creatus est, absens ad suum Monasterium, Nonis Nouembris, anno ∞ CDXXXIX. sessione eiusdem Concilij XXXIX. electio confirmata, coronatus verò anno sequenti ∞ CDXL. Basileæ IX Kal. Augusti, sedit in sua obedientia Friderico. III. Imperatore annos IX. menses V. dies aliquot. Hic Synodum Basileensem. XIII anno absoluit, alteram in triennium Lugduni celebrandam indixit. Gebennis & Lausanæ resedit, vbi & aliud Concilium celebrauit. Adhæsere ei principiò nationes multæ. Verùm mortuo Eugenio IIII, quum Prouinciæ, & Regna paulatim ab eius obedientia deficerent, Nicolao V. procurante, Felix precibus Imperatoris Friderici III. Regum Franciæ, Angliæ, & Siciliæ, XII. Kal. Iunij. anno ∞ CDXLIX. sponte Pontificatu abdicauit. A Nicolao V. Episcopus Cardinalis Sabinus, Collegij Decanus, perpetuusque Germaniæ Legatus creatus. Qui haud ita longè pòst Lausanæ moriens, ibidem in Cathedrali sepultus est. Cardinales in sua obedientia XXIII. Ordinationibus IIII creauit: ex his tres eo abdicante à Nicolao V in Patrum Collegium recepti sunt, ceteri exclusi.



FELIX·IIII·DICTVS·V·DVX·SABAVDIAF

NICOLAVS .V. PAPA SERGIANENSIS LIGVR

PAPA CCXII THOMAS incerto cognomine, Sergiana oppido Lunensis agri in Liguribus obscuro genere ortus, patrem Bartholomæum medicum habuit. Lucæ adultus Lucani cognomen suscepit. Adulescens Bononiæ studijs vacans, Artium & Theologiæ Doctor factus fuit. Eugenio IIII. ob virtutem, & in tollenda Germanorum neutralitate industriam gratus, ab eo Episcopus Bononiensis, & Presbyter Cardinalis tt. S. Susannæ creatus est. Quo mortuo, cõclaui in Sacrario Prædicatorum ad Mineruæ facto, XVII Cardinalium suffragijs Prid. Nonas Martij, anno ∞ CDXLVII, Summus Pontifex denunciatus, & ad S. Petrum coronatus, Imperatore Cæsare Friderico III. Austrio Augusto, sedit annos VII. dies XIX. Pontifex fuit doctrina, pietate, liberalitate, & alijs præclaris animi corporisque ornamentis clarissimus. Annum Iobileum ∞ CDL. sexto celebrauit, Fridericum Augustum, & eius vxorem Eleonoram Lusitaniæ Regis filiam imperiali Diademate in Basilica Vaticano coronauit. Vrbem veteribus ædificijs deformem, nouis fabricis excitatis exornauit, schismate abdicantẽ Felice, sublato, pacem Ecclesiæ restituit. Coniurationẽ Vrbanam, aliquot ciuibus Romanis castigatis, repressit. Eo Pontifice Constantinopolis Orientis Imperij caput Christianis à nefandissimis Turcis Imperatore Græco Constantino Palæologo cæso, occupata est. Cuius rei labem Pontificatui suo impactam, dum abolere coactis in Turcas copijs studet, arteticis doloribus totum corpus peruadentibus extinguitur, quum ordinationibus tribus XI Cardinales creasset. Obijt autem Romæ in palatio Vaticano IX Kal. Aprilis, anni ∞ CDLV. Vacauit sedes dies XIIII. sepultus in Basilica Sancti Petri, marmoreo cum hoc epigrammate sepulchro:

Hic sita sunt Quinti Nicolai Antistitis ossa,
Aurea qui dederat sæcula Roma tibi.
Consilio illustris, Virtute illustrior omni:
Excoluit Doctos Doctior ipse Viros.
Abstulit errorem, quo schisma infecerat Orbem,
Restituit mores, mœnia, templa, domos.
Tum Bernardino statuit sua Sacra Senensi,
Sancta Iubilei tempora dum celebrat.
Cinxit honore caput Friderici, & Coniugis aureo,
Res Italas icto fœdere composuit.
Attica Romanæ complura volumina linguæ,
Prodidit, en tumulo fundite thura sacro.


NICOLAVS V PAPA SERGIANENSIS

CALLISTVS .III. PAPA VALENTINVS HISPANVS

PAPA CCXIII ALFONSVS Borgia ex Castello Valentinæ Diœcesis Sciatiua, patre Ioanne, genere nobili ortus, & omnibus liberalibus artibus instructus, Episcopatum Valentinum iuuenis adeptus est. Alfonsi Regis Legatus ad Eugenium Papam IIII. missus, ab eo Presbyter Cardinalis tt. SS. Quatuor Coronatorum denunciatur. Mortuo Nicolao V. Romæ, in palatio Vaticano à XIII Cardinalibus summus Pontifex, V Idus Aprilis, anni ∞ CDLV. creatus, & apud S. Petrum coronatus, sedit Imperatore Cæsare Friderico III. Augusto annos III. menses IIII. Pontificatu inito bellum Turcis indixit, ad XVI. triremium classe, Duce Ludouico Cardinale Aquileiensi Legato, maritima hostium loca inuasit, & toto quo vixit triennio multis eos cladibus afflixit. Sed & terrestri bello magna Turcis à Christianis clades illata est. Quippe qui ad Taurunum in Pannonia, insigni bello Ioanne Vaiuoda Duce, adhortatore Ioanne Capistrano Minorita superati, circiter LX. millia hominum amiserunt. Mahometes Tyrannus saucius fuga salutem quæsiuit. Ea victoria Pontifex festum S. Transfigurationis D. N. IESV CHRISTI, VIII Idus Augusti solemnissimum fecit, Solennes supplicationes habuit. Mortuo Alfonso Rege sine legitimo hærede, Neapolitanum regnum repetijt, repugnante Ferdinando. Dum arma Pontifex pararet, octuogenario maior, VIII Idus Augusti, anno ∞ CDLVIII. rebus humanis eximitur, Cardinalibus IX. duabus Ordinationibus creatis. Vacauit sedes dies XII. Ipse in Sacrario Sancti Petri marmoreo tumulo sepultus est, sine vllo epitaphio.


CALIXTVS III PAPA VALENTINVS HISPANV

PIVS .II. PAPA SENENSIS ETRVSCVS.

PAPA CCXIV AENEAS Siluius Picolhomineus gente Patricia tenuioris tamen fortunæ, patre Siluio in Villa Corsiniana agri Senensis ortus, per omnium Romanæ Curiæ dignitatum gradus, ad munus Apostolicum ascendit. Litteris humanioribus instructus, eloquentia, dexteritate, & prudentia multum valuit, Primùm Cardinalium Capranici & Albergati Scriba, deinde in Cōcilio Basileensi cæremoniarum præfectus, & pro eo multis Legationibus egregiè functus, postea Friderici III. Felicis V. Eugenij IIII. & Nicolai V. epistolarū magister, & à Secretis fuit. Ad Eugenium IIII. pro natione Germanica Legatus, obedientiam, sublata neutralitate, eidem præstauit. A Nicolao V. Episcopus Tergestinus, & Senensis, à Callisto III. Diaconus primo S. Eustathij, mox Presbyter Cardinalis tt. S. Sabinæ creatus est. Quo mortuo Romæ in palatio Vaticano, XVII. Cardinalium suffragijs, Romanus Pontifex, XIIII Kal. Septembris, Anno ∞ CDLVIII. denunciatus, & III Nonas Septembris, coronatus, Imperatore Cæsare Friderico III. Augusto sedit annos V. menses XI. dies XXVII. Ordinationibus tribus habitis, XIII Cardinales creauit. Obijt Anconæ in Piceno dum bellum in Turcas adornaret: Vacauit sedes dies XVI. Corpus Romam relatum in Basilica Sancti Petri marmoreo tumulo cum hoc elogio, in Sacello Sancti Andreæ sepultum est:

Pius II Pontifex Maximus natione Tuscus, patria Senensis, gente Picolhominea sedit annos sex. Breuis Pontificatus, ingens fuit gloria. Conuentum Christianorum Mantuæ pro fide habuit. Oppugnatoribus Romanæ sedis intra atque extra Italiam restitit. Catharinam Senensem inter Sanctas Christi rettulit. Pragmaticam in Gallia abrogauit. Ferdinandum Arragonensem in Regnum Siciliæ cis Fretum restituit: rem Ecclesiæ auxit. Fodinas inuenti tum primùm aluminis apud Tolfam instituit. Cultor iustitiæ, & religionis. Admirabilis eloquio. Vadens in bellum, quod Turcis indixerat, Anconæ decessit: ibi & classem paratam, & ducem Venetorum cum suo Senatu commilitones Christi habuit. Relatus in Vrbem est Patrum decreto, & hic conditus, vbi caput Andreæ apostoli ad se ex Peloponneso aduectum collocari iusserat. Vixit annos LVIIII. *menses* IX. *dies* XXVII. *Franciscus Cardinalis Senensis auunculo sanctissimo fecit, Anno* M. CCCC. LXIIII.

Humi vero in Tabula marmorea

PIVS .II. PONT. MAX.


ÆNEAS SYLVIUS PIUS
SENENSIS PONT. MAX.

PAVLVS .II. PAPA VENETVS

PAPA CCXV PETRVS Barbus Patricius Venetus Nicolai & Polyxenæ sororis Eugenij IIII Papæ filius, ab auunculo Romã accitus, Protonotarius Apostolicus Epũs Ceruiensis, pòst Vicetinus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ, demum Presbyter tt. S. Marci renunciatus est. Homo natura blandus, mitis, & humanus. Pontificibus Nicolao V. & Callisto III. gratissimus fuit. Pio II non admodum probatus. Quo mortuo, ipse conclaui in Palatio Vaticano instituto, XIX. Cardinalium suffragijs III Kal. Septembris, anni ∞ CCCCLXIIII. Summus Pontifex denunciatus, coronatusque ibidem XVI Kal. Octobris, sedit Imperatore Cæsare Friderico III. Augusto annos VI. menses X. dies XXVI. Ordinationibus tribus Cardinales XI. creauit. Fœdus inter Christianos Principes, & bellum Turcicum per Legatos suasit. Georgium Bohemiæ Regem Hussitarum hæresi infectum, excõmunicatum Regno priuauit, quod Hungarorum Regi Matthiæ dono dedit. Fridericum Imperatorem Romæ voti caussa venientem honorificentissime suscepit, Borsium Marchionem Estensem Ferrariæ Ducem constituit: lautissimas ad S. Marcum ædes construxit. Apoplexi correptus obijt morte repentina Romæ in Palatio Vaticano VIII Kal. Augusti, Anno ∞ CCCCLXXI. Vacauit sedes dies XIIII. Corpus in S. Petro marmoreo sepulchro cum hoc epitaphio conditum

Paulus II. Venetus Pontifex Maximus è vetusta Barborum Familia, præclaris naturæ dotibus auunculo Eugenio IIII. non inferior. Iustitiæ, pietatis, diuinarumque cæremoniarum cultor religiosissimus, Ecclesiasticæ libertatis maiestatisque defensor constantissimus, præcipuo pacis seruandæ studio, & singularis omnis generis munerum abstinentia, formidanda etiam lege Magistratibus indicta clarissimus, in Principes munificentia, in pauperes misericordia insignis, patrio amore annonæ copiam Vrbi dedit. Patrimonium Beati Petri erratis populorũ indulgentissimi parentis affectu emendatis, & conseruauit & auxit. Furentes armis hæreticos repressit, & quod per difficilem rerum temporumve conditionem effici cum dignitate non poterat, matura cunctatione saluberrimè disposuit. Vixit annos LIII. menses V. dies III. sedit annos VI. menses X. dies XXVI. Marcus Barbus Cardinalis S. Marci Patriarcha Aquileiensis consanguineo bene merenti fecit, anno salutis. M. CDLXXII.



PAVLVS. II. PAPA VENETVS

XYSTVS .IV. PAPA SAVONENSIS LIGVR

PAPA CCXVI FRATER Franciſcus de RuuereLeonardi filius, honeſto genere ortus, & ab ineunte ætate Minorum Ordinem profeſſus, per omnes eius ſodalitij gradus, ad Ordinis magiſterium aſcendit. Quem ob ſingularem doctrinam, eximiam in diſputationibus, & concionibus gratiam, Paulus II, Presbyterum Cardinalem tt. S. Petri ad Vincula creauit. Quo vita functo, in conclaui Vaticano XVII Cardinalium votis, V Idus Auguſti, anno ∞ CDLXXI Romanus Pontifex creatus, & ibidem VII Kal. Septembris coronatus, ſedit Imperatore Cæſare Friderico III Auguſto, annos XIII. dies VIII. Ordinationibus VIII habitis, Cardinales XXXIIII. creauit. Cuius res præclaræ geſtæ hoc epigrammate continentur

Templa, domum expoſitis, vicos, fora, mœnia, pontes,
Virgineam Triuij quòd repararis aquam,
Priſca licet nautis ſtatuas dare commoda portus,
Et Vaticanum cingere Xyſte iugum,
Plus tamen Vrbs debet: nam quæ ſqualore latebat,
Cernitur in celebri Bibliotheca loco.

Obijt in Vaticano Pridie Idus Auguſti, anno ∞ CDXXCIIII. Vacauit ſedes dies XVI. Corpus æneo ſolio in choro Canonicorum ab ſe extructo ſepultum, hanc inſcriptionem habet

Syxto IIII. PONT. MAX. ex Ordine Minorum, doctrina, & animi magnitudine omnis memoriæ Principi. Turcis Italia ſubmotis, auctoritate ſedis aucta, Vrbe inſtaurata, templis, ponte, foro, vijs, Bibliotheca in Vaticano publicata, Iubileo celebrato, Liguria ſeruitute liberata, cum modico ac plano ſolo condi ſe mandauiſſet, Iulianus Cardinalis patruo benemerenti maiore pietate quàm impenſa faciundum curauit. Obijt Idibus Sextilibus, hora ab occaſu quinta, Anno Chriſti M CDLXXXIIII. Vixit annos LXX. dies XXII. horas XII.



XYSTVS IV PAPA SAVONENSIS LIGVR

INNOCENTIVS. VIII. PAPA GENVENSIS LIGVR

PAPA IOANNES Baptista Nobili & peruetusta familia Cybo, patre Aarone
CCXVII qui Vrbis Senator, & Neapoli ProRege Andegauensium factionis Renati Regis nomine fuerat, ortus, Alfonsi Regis primùm, deinde Philippi Cardinalis Bononiensis Nicolai v Papæ fratris domesticus fuit. A Paulo II. Episcopus Sauonensis, à Xysto IIII. Melphitensis, à Supplicibus libellis signandis præfectus, & Presbyter Cardinalis tt. S. Laurentij in Lucina factus, sub eo aliquot Legationib. prudenter, & integrè functus est. Xysto mortuo, in cóclaui Vaticano Romanus Pontifex IIII Kal. Septemb. anno ∞ CCCCXXCIIII, à XXIIII Cardinalibus creatus, & ibidem pridie Idus Septembris coronatus, Imperetore Cæsare Friderico III. Augusto sedit annos VII. menses X. dies XXVII. Publicæ pacis, & otij studiosissimus: Christianos Principes frequentibus nuntijs ad pacem inter se ineundam, ad bellum verò Turcicum est adhortatus. Venetos à Xysto sacris interdictos absoluit. Romanis priuilegia renouauit. Beatum Leupoldum Austriæ Ducem miraculis clarum, rogatu Friderici III. Imperatoris inter Diuos rettulit. Graues à Regulis Vrsinis, & Columnensibus seditiones passus, animi lenitudine eas superauit. Cum Ferdinando Rege Neapolitano domesticis seditionib. Regni Procerum laborante, qui iura Ecclesiæ Romanæ labefactauerat, Genuensibus, & Venetis fœdere iunctus, bellum suscepit: cuius tædio permotus non longè pòst pacem cum eo fecit. Vna Ordinatione habita, octo Cardinales veteribus adiunxit. Gemen Sultanum Mahometi regis Turcarũ filium prælio à fratre Baiazete victum, Romæ in custodia habuit. Quem vt cautius custodiret, Baiazetes XL. aureorum millia annua eidem misit, & lanceæ ferrum, quo D. N. IESV CHRISTI latus perforatum est, donauit. Quo tempore Pontifex aliquot Publicis fabricis in palatio Vaticano exædificatis, ibidem VIII Kal. Augusti, ∞ CCCCXCII. obijt, ætatis LX. Vacauit sedes dies XVI. sepultus æneo monumento in Basilica Sancti Petri, cum hoc indiculo

EGO AVTEM IN INNOCENTIA MEA INGRESSVS SVM, REDIME ME DOMINE, ET MISERERE MEI.




INNOCENTIVS VIII PAPA GENVENSIS

ALEXANDER .VI. PAPA VALENTINVS HISPANVS

PAPA CCXVIII

RODERICVS Familia Nobili Lenzolia, patre Iofredo Equite, & matre ſorore Calliſti III, Valentiæ natus, auunculi cognomen Borgia, auito omiſſo vſurpauit. A quo Epiſcopus Valentinus, Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano, & S.R.E. Cancellarius creatus, ſub Xyſto IIII. Epiſcopatum Albanum, mox Portuenſem optauit, multis & magnis Legationibus inſignis, ac Collegij Cardinalium Princeps. Mortuo Innocentio VIII. duorum & viginti Cardinalium ſuffragijs in conclaui Vaticano III. Idus Auguſti, anno ∞ CCCCXCII. ſummus Pontifex creatus, & VII. Kal. Septembris coronatus, Cæſare Maximiliano Romanorum Rege Imperatore deſignato ſedit annos XI. dies VIII. Vir fuit magni animi, ſermone promptiſſimus, natura callidiſſimus. Alexander autẽ veneno per pincernæ errorem, quem alijs parauerat hauſto, XV. Kal. Septembris in palatio Vaticano anno ∞ DIII. ſeptuagenario maior obijt, quum Iobilei annum ſexto celebraſſet, & decem Ordinationibus, XLIII Cardinales creaſſet. Corpus ſepultum eſt in Sacrario S. Petri latericio tumulo. Vacauit ſedes menſem vnum, dies III



ALEXANDER VI. PAPA. VALENTINVS. HISP.

PIVS . III. PAPA SENENSIS ETRVSCVS

PAPA CCXIX FRANCISCVS Nannis Todeschini opulenti hominis,& Laodomiæ Pij II sororis filius, paterno cognomine omisso, auunculi familiæ Picolhomineæ nomen vsurpauit. A quo adhuc iuuenis post Doctoratus insignia adepta, Archiepiscopus Senensis,& Diaconus Cardinalis S. Eustathij creatus est. Multas Legationes sub quibus vixit Pontificibus egregiè administrauit, præcipuè Picenam sub Pio II, Germanicam sub Paulo II, tertiam ad Carolum VIII, Regem sub Alexandro VI. in Italiam armis irrumpentem. Vir fuit ingenio, moribus, solertia, religione, modestia, grauitate clarissimus. Mortuo Alexandro VI. in conclaui Vaticano VII.& XXX. Patrum suffragijs, ex primo Diaconorum Cardinalium summus Pontifex x Kal Octobris, anni ∞ DIII. creatus,& VIII Idus Octobris coronatus, sex tantùm & XX dies superuixit. Veneno enim (vt fama fuit) Pandulfi Petrucij Senensium Tyranni insidijs petitus, in eodem palatio XV Kal. Nouembris excessit. Vacauit sedes dies XIIII. sepultus in Basilica S. Petri prope Pium II. auunculum marmoreo eleganti sepulchro, cum hoc elogio,

Pius III. Pontifex Maximus à Pio II. auunculo duos & viginti annos natus in Cardinalium collegium ascitus, Vrbis ac Piceni Legatione integerrimè functus, à Paulo II. ad Fredericum III. missus, vt Germanorum arma in Turcas concitaret, conuentum frequentissimum Pontificis morte dissolutum habuit. Sub Innocentio VIII. Vmbros dissidentes pacauit. Carolo Gallorum Rege Italiam irrumpente, ab Alexandro VI. serò admodum obuiam missus. Eo mortuo duo de quadraginta Patrũ suffragijs Pontifex creatus, dum de restituenda in pristinam maiestatem Christiana republica ac Vrbe agit, VI & XX. die è tanta expectatione rerum publico omnium luctu decessit. Eloquio, prudentia, religione, innocentia, & grauitate domi forisque insignis, in dicendis in Senatus sententijs liber, & grauissimus. Vixit annos LXIIII. menses V. dies X. Obijt anno salutis Christi ∞ DIII. XV Kal. Nouembris

Iacobus & Andreas Fratri sanctissimo posuêre

Humi in tabula marmorea

PIVS .III. PONT. MAX.



PIVS II PAPA SENENSIS

IVLIVS .II. PAPA SAVONENSIS LIGVR.

PAPA CCXX IVLIANVS Ruuereus Raphaelis Xysti IIII. Papæ fratris filius, à patruo Pontificatus initio Episcopus Carpenctoratensis, & Presbyter Cardinalis tt. S. Petri ad Vincula creatus, ab eodem aliquot annis pòst Episcopatum Albanum, hinc Ostiensem, & maioris pœnitentiariæ munus obtinuit. Tribus Cathedralib. Auenionensi, Mendensi, & Cardinalitia, totidem Legationib. Auenionensi, Picena, Bononiensi, eodem tempore præfuit. In Gallias magnis de rebus iterũ Legatione functus. Innocentio VIII. gratus. Alexandro VI. hostis, dum vixit Vrbe abfuit. Mortuo Pio III. in Comitio Vaticano sexagenarius XXXVIII Cardinalium suffragijs, Kal. Nouembris summus Pontifex denuntiatus, & VI Kal. Decembris coronatus, Cæsare Maxiliano Rege Romanorum Imperatore designato, sedit annos IX. menses III. dies XXI. Tuendæ, augendæque ditionis Ecclesiasticæ cupidissimus, Io. Bentiuolo Tyranno Bononiam eripuit, Perusiam dedente Io. Paulo Balione recepit. Ad Veneti nominis excidium, qui Ariminum, Fauentiam, Ceruiam, Rauennam, de Romanæ Ecclesiæ ditione occupauerat, cum Cæsare, Francorũ & Hispaniæ Regibus, cunctisq; Christianis Principib. Cameraci in Belgio fœdus percussit, eosq; contumacius agentes, sacris interdixit. Quibus ingenti prælio ad amnem Abduam à Ludouico XII. Francorum Rege profligatis, Pontifex quatuor amissas Ecclesiæ Vrbes recepit. Francorum Regis, qui Mediolano potiebatur, potentiam suspectam habens, cum Venetis pacem fecit, Alfonsum Ferrariæ Ducem, quem à Gallorum amicitia auertere non potuerat, armis persecutus est. Gallus Rex Iulio iratus Cæsarem Pontifici ob reconciliationem cum Venetis hostem factum, in suas partes transduxit: vtriusque opera factum est, vt ab aliquot Cardinalib. Iulio rebellibus Concilium generale Pisis indictum sit, in quo Iulius ad caussam dicendam citaretur. Pontifex nouo Laterani Concilio indicto, eorum perfidiam elusit. Clade apud fossam Giliolam accepta, Bononiam amisit, quam Bentiuoli Francorum auxilio iterum occuparunt. At Pontifex animo in aduersis constans, viribus reintegratis, bellum instaurauit. Ad extremum fœdere cum Hispanis, & Heluetijs, adiunctis Venetis icto, Ferrariæ Ducem bello persecutus, Mutinam ei ademit, Mirandulam occupauit. Prælio apud Rauennam inito, Galli quidem victores fuere, sed ita cruenta victoria potiti sunt, vt viribus fracti, intra LXX. à pugna diem, Heluetiorum & Venetorum vi Mediolano, & Italia omni pulsi fuerint. Maximiliano Sfortiæ Insubrum Principatus, Parma & Placentia Ecclesiæ Romanæ cessere. Conciliabulum è Pisis primum Mediolanũ, mox Lugdunum translatũ, debiles successus habuit. Genuenses Pontificis hortatu Gallorum præsidijs pulsis, se in libertatem vendicarunt. Pontifex Bononia & Aemilia recuperatis, Romam victor redijt, vbi Concilio celebrando intentus, dum maiora molitur, septuagenarius in Vaticano palatio IX Kal. Martij, anno ∞ DXIII. è vita excessit, quum Ordinationibus sex Cardinales XXVII creasset. Corpus ad S. Petrum in Xysti Sacello conditum. Vacauit tum sedes dies XVIII.



IVLIVS. II PAPA. SAVONENSIS. LIGVR

Leo .x. Papa Florentinvs Etrvscvs

PAPA CCXXI Ioannes Medices Laurentij viri clarissimi,& sapientissimi, Claricisque Vrsinæ filius adhuc penè puer ab Innocentio VIII, cuius filiam Magdalenam Petrus Ioannis frater vxorem duxerat, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica creatus est. Quem paulò antè linguarum cognitione, doctrina supra ætatem, optimis moribus fulgentem, Ludouicus XI Galliarum Rex in Laurentij patris gratiam insigni sacerdotio exornauerat. Laurentio patre mortuo, fratreque Petro patriæ Principatu per Gallicos tumultus pulso, totos decem & octo annos exul aberrauit. A Iulio II Bononiæ, Aemiliæ, & belli contra Gallos Legatus creatus, clade Rauennati ab ijs captus est. Quibus paulò pòst Italia exactis, diuinitus ex eorum potestate liberatus, cladis reliquijs collectis, patriam, aduersa factione pulsa, recuperauit. Iulio II. vita functo, in Comitio Vaticano annos natus XXXVII, V Idus Martij. XXIII Cardinalium suffragijs, Pontifex Maximus denunciatus, & XIIII Kal. Aprilis coronatus, Maximiliano & Carolo V. Imperatoribus designatis, sedit annos VIII. menses VIII. dies XX. Concilium Laterani à Iulio II. inchoatum perfecit, pseudosynodi Pisanæ auctores à Iulio II. priuatos, eiurato schismate restituit, Id conciliabulum aboleuit. Pacem vel inducias inter Christianos Principes per Legatos tractauit, vt viribus consociatis, bellum Turcis Christianis arma inferentibus referretur. Franciscus Francorum Rex qui Ludouico XII. successerat, bello in Italia instaurato, Insubres, Maximiliano Sfortia in deditionem accepto, recuperauit: Heluetios repressit. Parmam & Placentiam à Iulio II. acquisitas occupauit: Pontifice Leone, ne Regium, Mutinam, Bononiam, & patriam Florentiam amitteret, repugnare non auso, cuius congressum Rex Bononiæ petens, de maximis cum eo negotiorũ arcanis transegit. Inde Rex in Gallijs, Pontifex Romam redijt. Qui Vrbinatum Principem Franciscum Mariam Ruuereum Iulij II. fratris filium Principatu exuit, quem fratris filio Laurentio tradidit. Pandulfi Petrucij filium Sena expulit: hinc in eum coniuratio adornata, qua detecta Petrucius Cardinalis occisus. Fœdere cum Carolo V. recens Imperatore creato, & Heluetijs inito, Gallos Italia exegit, Parmam & Placentiam recuperauit. Mediolano Dux Cæsaris auspicijs impositus est Franciscus Sfortia. Tantæ victoriæ nuntio audito Pontifex gaudio incredibili affectus, haud ita multo dum cœnam pararet obriguit, sensimque exorta est febris, quæ eum in palatio Vaticano non sine veneni suspitione, IIII Nonas Decemb. anni ∞ DXXI ætatis XLVI extinxit. Vacauit sedes Mensem vnum, dies VII. Cardinales XLIII. creationibus VIII fecit. Corpus ad S. Petrum primò, postea ad Mineruæ translatum marmoreo monumento conditum est. Eo Pontifice Martini Lutheri, Vldrici zuinglij hæresiarcharum nomina audiri primò sunt cœpta. Ei S.P.Q.R. beneficiorum memor, marmoream statuam in Capitolino palatio cum hoc elogio erexit

Optimo Principi Leoni .X. Medici
Ioanni Pontifici Maximo
Ob institutam restauratamque Vrbem,
aucta sacra, bonasque artes adscitos patres
sublatum vectigal, datum congiarium
S P Q R



LEO X PAPA FLORENTINVS

HADRIANVS .VI. TRAIECTENSIS BELGA

PAPA CCXXII IN extremis Batauorũ finibus ortus est, adeò humili genere, vt familiæ nomine carens, Florentij patris prænomen, pro familiæ nomine tulerit. Qui à teneris annis in Nobili Louaniensi Gymnasio, philosophiæ, Iuris, & Theologiæ studijs vacans, ita profecit, vt eruditione omnium princeps haberetur. Cuius virtutem audiens Cæsar Maximilianus, eum Carolo ex filio Philippo nepoti adhuc septenni puero, qui postea Imperator fuit, Præceptorem delegit. Cuius studio à Ferdinando Rege catholico Caroli auo, ad quem ablegatus fuerat, Episcopus Dertusensis postulatus, à Leone vero X. Presbyter Cardinalis tt. SS. Ioannis & Pauli Cæsaris commendatione creatus fuit. Mortuo Maximiliano Cæsare, dum Carolus in Germaniam pro Regni diademate profectus esset, Hispaniarũ Regna diu pro Rege administrauit: In quo munere absens, & nihil tale cogitans, post Leonis X. obitum, XXXIX. Patrum suffragijs, V Idus Ianuarij, anni ∞ DXXII. Romæ Pontifex creatus, Imperatore Cæsare Carolo V. Augusto, sedit annum I, menses VIII, dies VI. Qui ad Vrbem III Kal. Septembris veniens, postridie ad S. Petrum coronatus est. Pontificatus initio Ariminum pulso Sigismundo Malatesta, qui eam Vrbem in interregno occupauerat, recepit: Duces Ferrariæ, & Vrbini à pœnis, quas ijs Leo X. inflixerat, absoluit: Legatum in Germaniam contra Lutherum, & vt Principes arma in Turcas verterent, misit. Rhodus eo Pontifice à Solymano Turcarum Tyranno occupata. Quum Franciscus Francorum Rex instructissimas copias in Italiam transferre instituisset, vt Mediolani Principatum armis occuparet, Pontifex pro Italica libertate tuenda, fœdus cum Cæsare, & Venetis percussit, in cuius celebritate leui febre decubuit, quæ à medicis neglecta letalis euasit. Excessit XVIII Kal. Octobris, anno ∞ DXXIII. ætatis LXV. Vacauit sedes menses II. dies IIII. Corpus ad sanctam Mariam Germanorum nobili marmoreo tumulo, Guillelmi Encheuordij, quem paulò ante obitum Cardinalem creauerat, sumptu, sepultum hoc elogium habet:

Hadriano VI. Pont. Max. ex Traiecto insigni inferioris Germaniæ Vrbe:
Qui dum rerum humanarum maximè auersatur splendorem, vltro à Proceribus ob incõparabilem sacrarum disciplinarũ scientiam ac propè diuinam castissimi animi moderationẽ Caroli V Cæsaris Augusti Præceptor, Ecclesiæ Dertusensis Antistes Sacri Senatus Patribus collega, Hispaniarum Regni Præses, Reipublicæ denique Christianæ diuinitus Pontifex absens adscitus,
Vixit annos LXIIII. menses VI. dies XIII. Decessit XVIII Kal. Octobris,
Anno à partu Virginis M. D. XXIII. Pontificatus sui anno secundo.
Vilhelmus Enckenuoirt illius benignitate, & auspicijs, tt. SS. Ioannis & Pauli, Presbyter Cardinalis Dertusensis fac. cur.


ADRIANVS VI PAPA TRAIECTENSIS BELGA

Clemens .vii. Papa Florentinvs Etrvscvs

PAPA CCXXIII Ivlivs Medices Leonis x frater patruelis (Iulianum enim Laurentij fratrem patrem habuit) ac eius prælongi exilij perpetuus comes, ab eo ad Pontificatum euecto, Archiepiscopus Florentinus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Dominica, mox Presbyter tt. S. Laurentij in Damaso, & S.R.E. Cancellarius creatus, totius imperij Ecclesiastici negotia Leone rerum potiente tractauit. Legatus fœderati exercitus, quo Galli Mediolano sub Leonis obitum pulsi fuère, Parmam & Placentiam Ecclesiæ recuperauit. Eius opera Hadrianus absens Pontificatum adeptus est: quo vita functo, post acerrimas Comitiales contentiones, factione sua præualente, Pompeij Columnæ Cardinalis studio xxxiix Cardinalium suffragijs, xiii Kal. Decembris, anni ∞ dxxiii. Pontifex maximus renunciatus, & vi Kal. Decembris inauguratus Imperatore Cæsare Carolo V. Augusto sedit annos x. menses x. dies vii. Iobilei annum ∞ dxxv. sexto celebrauit. Qui Leonis x. acta sequutus, fœdus ab Hadriano ad arcendos Italia Gallos, & Francisci Sfortiæ Principatum stabiliendum cum Cæsare Carolo V. & Heluetijs initum continuauit. Ceterum Francisco Gallorum Rege Ticini capto, & Francisco Sfortia (quem Cæsariani Duces defectionis insimulauerant) paterno Principatu exuto Pontifex id ægrè ferens, simulque Cæsaris potentiam in Italia ita augeri dolens, ab eo auersus, fœdus pro libertate Italica, & Francisco Sfortia tuendo, cum Venetis & Gallis contra eum percussit. Hac re irritati Cæsariani, Duce Borbonio exule Gallo, Vrbem captam diripuere, & Pontificem in deditionem acceptum, grandi ære libertatem redimere coëgerunt. Quo casu Florentini Pontificis propinquis Vrbe eiectis, se in libertatem vendicarunt. Pontifex pace, & affinitate ea lege facta cum Cæsare, vt Francisco Sfortiæ Principatum Mediolanensem restitueret, Florentinos rebelles reprimeret, fœdus cum Venetis percuteret, eum in Italiam ex Hispania venientem Bononiæ Imperatorio Diademate ornauit. Qui quæ pollicitus fuerat præstans, filiam Magaritam Pontificis propinquo Alexandro Medici Florentinorum Duci constituto, despondit. Quo in Hispaniam abeunte, Clemens Massiliam profectus, nouam amicitiam cum Francorum Rege Francisco inijt, & affinem Catharinam Henrico Regis secundo genito in matrimonium dedit. Romam reuersus, & longo, vario, difficilique morbo vexatus, tandem xi Ordinationib. Cardinalibus xxxi. creatis, anno ∞ dxxxiiii. ætatis lvii. vii Kal. Octobris rebus humanis eximitur. Corpus ad S. Petrum primùm, deinde aliquot annis pòst cum Leonis x cadauere ad Mineruæ translatum. Vacauit tum sedes dies xvii.


CLEMENS · VII · PAPA · FLORENTINVS ·

PAVLVS .III. PAPA ROMANVS.

PAPA CCXXIV

ALEXANDER Nobili,& vetusta Farnesiorum familia, patre Petro Luisio, matre Ioanna Caietana ortus, adhuc puer bonis litteris Florentiæ in Laurentij Medicis contubernio operam assiduè nauauit. Romæ ab Innocentio VIII. Scriptor Apostolicus & Protonotarius, ab Alexandro VI. qui cum vetus intercesserat amicitia, Thesaurarius, Montis Flasconis & Corneti Episcopus, mox auctis honorib. Diaconus Cardinalis, SS. Cosmæ & Damiani, patrimonij primùm, deinde Piceni Legatus creatur. A Iulio II pro Legatione Picena Episcopatum Parmensem obtinuit. A Leone X ex Diacono S. Eustathij Episcopus Tusculanus. A Clemente VII. Ostiensis, Senatusque princeps institutus. Quo mortuo prope septuagenarius in Comitio Vaticano XXXIIII. Patrum suffragijs, III Idus Octobris anno ∞ DXXXIIII. summus Pontifex creatus, & III. Non. Nouembris ad S. Petrum coronatus, sedit Imperatore Cæsare Carolo V. Augusto, annos XV. dies XXIX. Publicæ tranquillitatis & otij studiosissimus. Pontificatu inito, statim pacem inter Christianos Principes Carolum Imperatorem, & Franciscum regem per Legatos procurauit. Henricū Angliæ Regem in hæresim lapsum damnauit. Carolum V. ad bellum Punicum proficiscentem, milite, & classe subleuauit, Eumque Tunete expugnato, redeuntem Romæ solenni pompa honorificentissimè suscepit. Concilium generale sæpius expetitum, Mantuæ primùm, mox Vicetiæ, demum Tridenti indixit, inchoauitque. Ecclesiasticam morum censuram amplissimis viris ei muneri præpositis, & sanctissimæ Inquisitionis tribunal instituit. Francisco Sfortia Mediolani Duce mortuo, Insubres in Prouinciæ formam à Carolo V Imperatore redacti. Alexandro Medici Florentinorum Duci occiso Cosmus successit. Nicæam Prouinciæ Vrbem Pontifex profectus inducias decennales inter Cæsarem & Francorum Regem fecit: fœdus cum Imperatore, & Venetis contra Turcas percussit, ducentarum Triremium classe in eos infelici euentu immissa. Octauium nepotem desponsa sibi Margarita Caroli V Cæsaris filia, Camertium Principem, filium Petrum Luisium Ecclesiastici exercitus Imperatorem, Parmæ & Placentiæ reddito Camerino, Ducem constituit. Bis cum Carolo V. Lucæ, & Buxeti congressus est. Plures in Germania conuentus de religione habiti. Turcarum Tyrannus bis Pannoniam infestis armis petijt. Cæsar infaustam Algerianam expeditionem suscepit. Cui bellum cum Lutheranis gerenti, Pontifex lectissima auxilia Octauio Duce, Alexandro Cardinale Legato misit. Cæsar insigni victoria potitus, Germanos rebelles oppressit. Simultatibus inter Cæsarem, & Pontificem ortis, Concilium Tridento Bononiam transfertur. Petro Luisio Parmæ & Placentiæ Duce Placentinorū aliquot ciuium conspiratione, non sine Cæsarianorum aliquot conscientia interfecto, Placentia amissa est. Parma ægrè retenta. His curis Pontifex anxius LXXI Cardinalibus quatuordecim ordinationibus creatis, ætatis anno LXXXII. Christi verò ∞ DXLIX. IIII. Idus Nouembris, Romæ in Quirinali obijt. Sepultus ad S. Petrum. Vacauit sedes menses duos, dies XXIX. Sepulchrum ei è nobili marmore, & æreis signis ornatum nepos Alexander Farnesius Cardinalis instituit.



PAVLVS · III PONT · OPT · MAX ·

PAPA CCXXV IOANNES MARIA de Monte, Romæ patre Vincentio natus, Arretinus ab eiusdem agri castello Monte S. Sabini, vnde maiores eius oriundi fuere, dictus est. Patruum habuit Antonium de Monte Cardinalem egregium. Quo auctore ipse post doctoratus insignia suscepta, multos ecclesiasticos honores adhuc iuuenis est consecutus. Archiepiscopus enim Sipuntinus electus, aliquot præfecturas in his Vrbanam iterum strenuè administrauit. Aemiliæ & Flaminiæ Præsidens Ariminum de Malatestis vi cepit. A Paulo III ex Cameræ Apostolicæ auditore presbyter Cardinalis tt. S. Vitalis creatus, amplissimas legationes integrè obiuit. Quo mortuo, quum esset Episcopus Prænestinus, Concilij, Bononiæq; Legatus in Comitio Vaticano VII Idus Februarij, anno Iobileo ∞ DL, quem ipse celebrauit XLVI Cardinaliũ votis, Romanus Pontifex creatus, & VII Kal. Martij coronatus, sedit Imperatore Cæsare Carolo V. Augusto annos V, mensem vnum, dies XVI. Inito Pontificatu, auctore Cæsare Carolo V. Concilium Tridenti restituit. Vectigalia aliquot à prioribus Pontificib. imposita sustulit. Hæreticos & schismaticos per literas ad Apostolicæ sedis vnitatem inuitauit: Iudæorum librum Thalmud blasphemijs refertum aboleuit. A Cæsarianis seductus, bellum Octauio Farnesio Parmensium Duci intulit, qui in Francorum Regis Henrici clientelam assumptus, egregiè eius Regis præsidio defensus est, Mirandula, quæ Regijs præsidijs tenebatur, obsessa. Eo bello Pontificis fratris filius sclopeti ictu occisus est. Pace facta longè maius bellum in Italia & Germania exarsit. Hic ingruentibus in Rhætos & Vindelicos hæreticis, & Oeni ponte capto, Concilium Tridentinum dissolutum est. Illic Senenses à Cæsare, eius Præfecto Didaco Hurtado Mendocio pulso, deficientes, se in libertatem Henrici Francorum Regijs auspicijs vindicarunt. Hinc bellum exortum, auctum, renouatum, & cum Vrbis seruitute finitum: Regis enim Duce Petro Strocio acie victo, Senenses sese Cæsari dederunt, cuius filius Philippus Rex eam Vrbem Cosmo Florentinorum Duci certis quibusdam legibus concessit. Odoardo Henrici VIII Anglorum Regis filio mortuo, Maria catholica regina successit, quæ cùm orthodoxam pietatem ei Insulæ restituisset, Philippo Regi catholico nupsit. Per id tempus Pontifex Villa Iulia magnificentissimè extructa, initio anni ∞ DLV leui morbo decubuit, quo aucto in febrem incidit, quæ eum X Kal. Aprilis confecit, Cardinalibus XX quattuor ordinationibus lectis, corpus lateritio tumulo ad S. Petrum in sacello S. Andreæ conditum est. Vacauit Sedes dies XVII



IVLIVS III PAPA ARRETINVS

MARCELLVS .II. PAPA POLITIANENSIS ETRVSDVS

PAPA CCXXVI

MARCELLVS .II. PAPA gente Ceruina honeſtæ fortunæ parentibus in oppido agri Piceni Montis ſani ortus, patrem habuit Ricardum tunc eiuſdem Prouinciæ Quæſtorem: Qui à teneris annis humanioribus litteris Senis operam nauauit: Grandior natu Romam Clemente VII. venit. Cuius ſucceſſori Paulo III. inſinuatus, ab eo virtutis ergò ad ampliſſimos honores euectus eſt. Primùm enim Alexandri Cardinalis Farneſij Pontificis nepotis toti ditioni eccleſiaſticæ Præpoſiti, à Secretis fuit: mox eius itinerum, & Legationum comes, deinde Protonotarius, Epiſcopus Neocaſtrenſis, poſtea Regienſis creatur, Abſens in Belgio Presbyter Cardinalis tt. S. Crucis in Hieruſalem, & Legatus ad Cæſarem factus eſt: Romam rediens Concilio Tridentino cum Legationis munere præfuit. Mortuo Pauli III. ſucceſſore Iulio III. V. Idus Aprilis, anno ꝏ DLV. in conclaui Vaticano XXXVI Cardinalium ſuffragijs Romanus Pontifex deſignatus, & poſtridie conſecratus, ſedit tantùm dies XXI. Vir illuſtri ingenio præditus, modeſtia, grauitate, optimis moribus, religione præſtantiſſimus. Magna de eius Pontificatu ſpe concepta, Kal. Maij obijt, ætatis anno LVI. minus ſex diebus, maximo ſui apud omnes bonos deſiderio relicto, inſigniq; hominum concurſu communem iacturam dolentium ad Vaticanum facto. Corpus in Baſilica S. Petri marmoreo ſolio ſepultum eſt. Vacauit ſedes dies XXII.


MARCELLVS. II. PAPA. POLITIANENSIS.TVCS

PAPA CCXXVII IOANNES Petrus nobilissima gente Carafa, patre Ioanne Alfonso Comite Matalunæ ortus, adulescens bonis artibus intentus, accuratæ linguarum cognitioni, philosophiæ, & Theologiæ studia adiunxit: quibus adeò profecit, vt vnus ætate sua vir doctissimus existimatus perpetuò fuerit. Oliuerij Cardinalis Neapolitani propinqui studio, Episcopatum Teatinum adhuc iuuenis adeptus, in multis Ecclesiasticis functionibus summa cum laude versatus est. Quietioris sanctiorisque vitæ desiderio accensus, Episcopatu relicto solitariam vitam, aliquot collegis accitis, auida amplexus, diu in eo proposito Romæ, Veronæ, & Venetijs, religiose vixit. A Paulo III Romam per litteras euocatus, Presbyter, Cardinalis tt. S. Clementis, postea Episcopus Sabinus, & Archiepiscopus Neapolitanus designatus, multum apud eum gratia, & auctoritate valuit: Vtque sanctæ inquisitionis tribunal institueretur, cum F. Ioanne à Toleto Cardinale Compostellano Ordinis Prædicatorum auctor fuit. Marcello II. Iulij III. successore breui vita functo, ipse propè octuogenarius, quum esset Episcopus Ostiensis, & sui Ordinis Princeps, in Vaticano conclaui, post breues sed acerrimas Comitiales contentiones, XLIIII Cardinalium suffragijs, x Kal. Iunij, anno ∞ DLV. Pontifex maximus renunciatus est, & VII. Kal. Iunij inauguratus, Imperatorib. Cæsarib. Carolo V. & Ferdinando Augustis, sedit annos IIII, menses II. dies XXVII. Pontificatus initio Ecclesiasticam morum emendationem instituit. multa ad dissolutos omnium ordinum mores corrigendos edicta publicauit. Iudæorum auaritiam corripuit, datariatus reditus suspendit, Romanis priuilegia confirmauit, & auxit, Ecclesiarum bona malè alienata restitui voluit, sanctæ inquisitionis munus auxit, librorum damnatorum indicem confecit, Festum Cathedræ S. Petri Romanæ celebrari voluit. Fratres apostatas ad sua monasteria, Episcopos ad suas Ecclesias redire coegit. Bellum cum Philippo Hispaniarum Rege adiuuantibus Gallis egit, pacem bello confecto fecit. Fratris filios ad se delatos Vrbe expulit. Grauem Tiberis inundationem passus. Carolus V. Imperator abdicata rerum humanarum cura, in monasterio diuinis meditationibus vacans, è vita migrauit. Henricus Rex Francorum pace, & affinitate cum Philippo Hispaniarum rege facta, in hastiludio interficitur. Pontifex liberalitate, & zelo religionis clarus senio confectus, rebus humanis eximitur, XV Kal. Septembris, anni ∞ DLIX. ætatis XXCIIII. quum quatuor ordinationibus, XIX. Cardinales creasset. Vacauit sedes menses IIII. dies VII. Corpus ad S. Petrum primo, septimo deinde anno pòst, in ecclesia Prædicatorum ad Mineruam conditum est, marmoreo quod ei Pius V. fecit sepulchro, cum hoc elogio

IESV CHRISTO spei, & vitæ fidelium
Paulo. IIII. Carafæ Pontifici Maximo, eloquentia, doctrina, sapientia, singulari innocentia, liberalitate, animi magnitudine præstantissimo, scelerum vindici integerrimo, catholicæ fidei acerrimo propugnatori, Pius V Pontifex maximus, grati & pii animi monumentum posuit. Vixit annos LXXXIII. mensem I. dies XX. Obiit ∞ DLIX.
XV Kal. Septembris, Pontificatus sui anno V.



PAVLVS IV PAPA NEAPOLITANVS

PAPA CCXXIIX IOANNES Angelus Medices Bernardini filius aduleſcens Ticini & Bononiæ Logicæ philoſophiæ, Medicinæ, & Legum ſtudiis vacauit: Doctoratus inſignia conſecutus, Romam veniens Clemente VII, Protonotarius ex ſeptem creatur. A Paulo III. multis Præfecturis & publicis muneribus ornatus, Archiepiſcopus Raguſinus, & Presbyter Cardinalis tt. S. Pudentianæ factus eſt. Sub Iulio III. Legatus bello Parmenſi fuit, ſub quo, & Paulo IIII. ſignaturæ gratiæ præfuit. Quo mortuo, poſt diuturnam ſedis vacationem, ſexagenario maior, in Comitio Vaticano, XLIIII. Cardinalium ſuffragijs, VII. Kal. Ianuarij, ineunte anno ſalutis ∞ DLX, Romanus Pontifex creatus, & proximo Epiphaniæ die feſto coronatus, ſedit Imperatoribus Cæſaribus Ferdinando, & Maximiliano II. Auguſtis, annos V. menſes XI. dies XV. Initio Pontificatus Concilium Tridenti reſtituit, perfecitque. Omnium ordinum morum cenſuram multis editis legibus reſtituere aggreſſus, aliquot Pauli IIII. acta ciuilia ad iuris rationem reduxit. Carolum & Alfonſum Carafas Cardinales, quibus præcipuè ſuffragantib. Pontificatum adeptus fuerat, alterum ſuſtulit, alterum mulctauit. Florentiæ Ducem, & Principem, Vrbini & Mantuæ Duces: aliquotque alios Proceres lautè hoſpitio in Palatio ſuſcepit. Multa tota vrbe, & per Eccleſiaſticam ditionem ædificia publica magnificè extruxit. Montes conſtituit, vectigalia auxit, cupiditatis notam non effugit. Vir fuit docilitate, ingenio, litterarum ſcientia, in laboribus perſeuerantia, & rerum gerendarum experientia excellens. Ferdinando pientiſſimo Imperatore mortuo, noui Cæſaris Maximiliani præſtantiſſimi Principis Oratorem ſuſcepit. Galliam domeſticis ſeditionibus vexatam, Melitam à Turcis obſeſſam, quoad potuit, pecunia ſubleuauit. Quo anno ipſe repentino ferè morbo oppreſſus, poſtquam ordinationibus quatuor, ſex & XL Cardinales creaſſet, IIII. Idus Decembris, anno ∞ DLXV. ætatis LXVII. rebus humanis eximitur. Corpus lateritio tumulo in Vaticana Baſilica ſepultum. Vacauit ſedes dies XXIX.



PIVS · IV · PAPA · MEDIOLANENSIS ·

PIVS .V. PAPA ALEXANDRINVS

PAPA CCXXIX FRATER Michael Gislerius ex oppido Boschi Alexandrinæ diœcesis, Lombardus Insuber, Ordinis Prædicatorum, Lector, officij sanctæ Inquisitionis Commissarius, Ex Episcopo Sutrino, & Nepesino Presbyter Cardinalis tt. Sanctæ Mariæ super Mineruam, & summus Inquisitor à Paulo IIII Papa factus, postea Episcopus Montis regalis in Subalpinis, & tt. S. Sabinæ, demum iterum tt. S. Mariæ super Mineruam à Pio IIII creatus, Imp. Cæsare Maximiliano II Austrio Augusto sedet.

Natus XVI Kal. Februarij, Anno ∞DV. creatus Romæ à LII Cardinalibus, VII. Idus Ianuarij, hora XXII. die Lunæ, Anno salutis Christianæ ∞DLXVI. Coronatus die natalitio suo XVI Kal. Ianuarij, in festo S. Antonij, ineunte anno eius vitæ LXII. super gradus ante Basilicam Vaticanam à Iulio Ruuereo Vrbinate Cardinalium Diaconorum primo, me huius libri auctore prope Sedem Pontificiam astante, &c.